



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. De moderata cura sanitatis. Thema. Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis. Matth. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)



REGULA XLVI.

DE CURA MODERATA SANITATIS.

EXHORTATIO I.

IN EANDEM,

Nimiam sanitatis curam vitandam, moderatam verò adhibendam suadet.

T H E M A.

Ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis. Matth. 6. 27.

V E L

Ut nimia sollicitudo reprehensibilis est, ita moderata tuenda, ad divinum obsequium valetudinis, laude digna est. Reg. 46.

Amantissima æque ac providentissima Mater nostra Societas (aut alia religio quavis) haud absimilis esse videtur illi mulieri forti, de qua Salomon Proverb. 31. meminit. *Mulierem fortem quis inveniet? fortem, id est strenuam industriam, heroicam prudentiam, charitatem, atque omni virtute cumulatam. Ubi verò inventa fuerit; quidnam illa? Quæ sivit lanam & linam, & operata est consilio manuum suarum. Lana, ex mente D. Augustini, significat temporalia; linum spiritualia: utraque in hac peregrinatione necessaria sunt; utraque, mulier hæc fortis comparare filiis suis studet, ac, Deo dante, præbet. Nam facta est quasi navis*

institoris, de longè portans panem suum. Quemadmodum Mercatorum naves, & longinquis regionibus, frumenta, vestimenta, alimenta, aliæque merces advehunt: ita Societas annonam, cibum, potum, aliæque vitæ communi necessaria comparat & filiis suis, cum sufficienti distribuit. Ex quo oritur, ut neque ob famem, neque ob nuditatem, famelicis suorum metuat. Non timebit Domui suæ, à frigidibus nivis: omnes enim domestici sui, vestiti sunt duplicibus. Ita Societas non timeat Domui suæ: duplices enim vestes domesticis suis præbet, exteriores & interiores, id est temporalia & spiritualia.

Cum igitur hæc Mater nostra, tantæ curæ & sollicitudine nobis de omnibus provideat, tantamque sanitatis nostræ curam

curam gerat; duo inde inferemus, quæ in Regula præsentè exprimentur: primam est nobis nimiam valetudinis tunc sollicitudinem deponendam; alteram verò est; eam tamen non omnino negligendam; sed curam moderatam pro ea adhibendam esse: qua ditione hodiernâ elucidabimus.

I. Primò igitur, *Nimia sollicitudo in illis, quæ ad corpus pertinent reprehensibilis est*: ait Regula; adeoque hæc Religiosis, in primis, Societatis nostræ, quam maxime est devitanda. Duplex autem nimia sollicitudo distingui potest; alia, quæ versetur circa substantiam & res sustentationi necessarias; alia circa modum seu qualitatem. Prior sollicitudo nimia est de victu amictu, aliisque vitæ sustentandæ necessariis: à qua Redemptor noster omnes ad eòs fideles, ne dicam Religiosos, immunes esse iussit Matt. 6. 25. dicens: *Nolite solliciti esse anime vestra, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Atque ut id ipsum efficacius persuadeat, variis rationibus evincere ac stabiliri nititur. Primam deducit, à minori ad minus; *Nōne anima est plus, quam vesca; & corpus plus, quam vestimentum?* Tancquam si diceret: Deus, qui ex infinita bonitate & liberalitate sua vobis donat, quod longè plus est, milliesque præstantius; animam scilicet & corpus illi quod longè minus ac deterius est, scilicet victum & amictum vobis denegabit? Alteram desumit, à minori ad majus; *Respicite volutaria cæli quoniam non serunt, neque metunt; & Pater vester cælestis pascit illa: nōne vos manus pluris estis illis?* Si Pater cælestis, tantâ curâ, pascit aviculas, neque serentes, neque meten-

tes; & passerulos; tam vilis pretii, ut duo veneant alle uno, & quinque duobus: *Nōne duo passeret esse veneunt?* Matt. 10. 29. *Ec nōne quinque passeret veneunt dipondio?* Lucæ 12. 6. Id est duobus assibus: (seu ut in græco est, *assaris*, quod diminitivum est, & qui ut ait Euthymius, duos terunciolos, seu minimos obolos valent) si inquam passeret alit, ad eò exilis pretii; vos, amicos suos, vos fratres suos, vos filios Dei, & regni cælestis hæredes, pretio magno, id est Jesu sanguine redemptos, deleteret, ac fame perire sineret? Tertiam rationem, ab inutilitate huiusmodi sollicitudinis, mutatur; *Quis autem vestrum, ait, cogitans, potest adicere, ad staturam suam, cubitum unum?* q. d. Si frustra est cogitatio, sollicitudo & labor, quo quis vellet, staturæ suæ, adicere cubitum unum; quò proceritate & longitudine cresceret; licet mille annis cogitaret, & cogitando discruciatet se illo, quod nunquam perficiet: quantò magis inanis est anxia sollicitudo, quâ quis vitam escis anxie conservare, & prolongare sua præ industria, eaque nimia, ac iusto magis exquisitâ, molitur? Solius enim Dei est, uti corpus à se concessum novis incrementis augere, ut staturam justam attingat; ita multò magis illius est, vitam ac sanitatem, quam largitus est, conservare, & alimenta, cateraque necessaria præbere.

Nolite igitur nimia sollicitudine cruciari & queri, dicentes: *Quid manducabimus? Aut quid bibemus? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Hæc est sollicitudo Paganorum, Deum, divinamque providentiam ignosantium; non

non verò Christianorum. Fide prædicatorum, spemque suam in Deo collocantium. *Sed enim Pater v. ster* (qui dicit omnia, *quia his omnibus indigetis*: id eo que providebit vobis, quia Pater est, idque facile potest, quia omnipotens, ut pote Pater celestis est. *Quare facta super Dominum curam tuam. Et ipse te enutriet.* Plal. 54. 23. Quod S. Franciscus viatici loco suis donabat. *Omniem sollicitudinem proicientes in eum, quoniam ipse est cura de vobis ac de vestra valetudine.* 1. Petri 5. Idem inculcat S. Paulus ad Philip. 4. *Nihil solliciti sitis pro victu, amictu, corpore & sanitate: vobis enim exigui sunt humeri & oculi providentiæ: Deus est Atlas, qui mundum universum humeris suis sultentat; Qui sexcenta hominum millia in deserto manna caelesti pavit; & vestes, calceosque annis quadraginta incorrupta servavit; ita ut cum pueris crescentibus etiam accrescerent.*

Altera sollicitudo circa victus & amictus qualitatem versatur; reperire enim est Religiosos nonnullos, qui pro ipsa substantia minimam gerant curam; hanc enim Præsidibus suis relinquunt; sed pro qualitate anxie laborent: solliciti quippe sunt pro veste bonâ, cibo delicato, vino optimo, cubiculo salubri, lecto molli, magnâque rerum aliarum commoditate. Idque (ut ajunt) pro tuenda sanitate. At respondetur à S. Ignatio: *Nimia sollicitudo reprehensibilis est.* Reperiuntur quandoque nonnulli, sive seniores sive juniores (quales, laus Deo, in hac Domino non reperimus) qui sub specie sanitatis, frena gulæ & sensualitati laxant; &

dum videri volunt curare valetudinem suam, curant circaliam. Tales enim licet viribus sint integris (neque enim de infirmis ac debilibus loquimur) nimiam sollicitudine laborant; & alii quidem salis, alii acetosis, alii dulcibus, alii pinguibus, alii leguminibus, alii fructibus, absque valetudinis detrimeto vesci se posse negant. Alii in suâmer phantasiâ morbos sibi fingunt & fabricant: jamque externis eâ de re consulunt; jam Medicorum libros evolvunt, & quid capiti, quid pectori, quid stomacho proficiat, obsitve, magno studio & curiositate indagant, ac sibi unde unde comparate satagunt, toti corporis curæ intenti, de animæ verò suæ sanitate parum admodum solliciti. Hujusmodi homines sensualitati magis, quam perfectioni dediti, ut scribit S. Bernardus Serm. 70. in Cant. ajunt: *Legumina ventosa sunt, asseus stomachum gravat, lac capiti non potum aqua non sustinet pedes, canes mutant melancholiam, choleram porri auferunt; pisces de stagno aut lussu aqua mea penitus complexionem non congruant.* Verum his enumeratis, denique S. Hieronymus Doctor reprehensionem promeritam subiungit: *Quale (inquit) est hoc, ut in rivis fluyis, agris, hortis, cellarum vix reperiri possit, quod comedas? Puta te, quæsi, Monachum esse, non Medicum, nec de complexionem judicandum, sed de Preseptione. Parce primùm quidem quieti tue: parce deinde labori ministranti; parce gratiam domus; parce Conscientiæ.*

At ingerit hic Titonium quispian non tam morbum reformido, quam morbum ingravescentem, aut debilitatem gravem.

gravem, quâ Ordinis functionibus, laboribusque reddat inhabilis, atque è tirocinio dimittat & remittat in mundum. Hac cura & sollicitudo me tangit; hic metus & angor me premit. Verùm occurrit iustus S. Ignatius, asserens, moderatam valetudinis curam laudabilem & adhibendam esse; nimiam sollicitudinem reprehensibilem & fugiendam. Fidendum Deo. *Dominus regit me, inquit David; & nihil mihi deerit.* In Hebræo est: *Dominus pascit me; & in loco pascuae ibi me collocavit.* Psalm. 22. Deus qui te è mundo maligno ad Religionem vocare dignatus est, gratiam quoque sibi serviendi tribuet; nec solum ex alio, nec pilus decidit ex capite; absque Nominis supremi voluntate: ergo à fortiori, neque morbus, neque morbi incrementum vel minimum, absque ejus voluntate atque annutu tibi evenire valebit. Illi ergo, ceu optimo, benevolentissimoque Patri totum te committe, ac resigna penitus; oraque fidelem, ut ejus voluntas sanctissima in te semper adimpleatur.

II. Alterum, à S. Fundatore in regula commendatum est *moderata cura tuenda ad divinum obsequium valetudinis & virium corporis*: eamque laude dignam asserit. Ratio est: quia tametsi morbus non minus Dei donum est, quam sanitas, ut Regula 7^o. insinuat; nihilo minus ad laborandum in vinea Domini necessaria est sanitas; magnum Dei donum, cui Plato in Legibus primum inter omnia bona naturalia locum tribuit; ex mente Aristotelis in Ethicis, omnium mundanorum bonorum fundamentum est sanitas: utpote sanè quâ,

nec libertate suâ, nec divitiis, nec dignitate suâ uti quis potest. Apud religiosos animarum zelatores multotum bonorum operum & laborum pro gloria Dei suscipiendorum basis est sanitas. Ideoq; hoc donum petit Ecclesia, in Oratione ad B. Virginem: *Concede nos famulos tuos perpetua mentis & corporis sanitate gaudere.*

Atque hæc est causa, cur S. Fundator bene sanos, ac robustos, laboribusque Societatis pares, in Societatem adlegi voluerit, debilibus exclusis. Hinc in Exam. c. 2. §. 5. Inter impedimenta admisionis prima statuit infirmitatem, quâ obscurari, vel parùm sanum judicium reddi soleat. Et c. 3. §. 8. interrogatur Candidatus, num habuerit, vel habeat morbum aliquem occultum, aut manifestum. Et 1. P. Constit. c. 2. §. 11. Inter dona, quibus ornatos cupit S. Pater admittendos, numerat bonam valetudinem, & vires, quibus ferre queant nostri Instituti labores. Quemadmodum verò pro admittendorum sanitate sollicitus fuit; ita quodque pro conservandâ jam admissorum valetudine, qui in Tirocinio probantur, curam gessit. Unde 1. p. Const. c. 3. §. 15. ait: consideratione & providentiâ debitâ opus esse. Et 3. p. c. 1. §. 1. vult, ut sic in via Dei proficiant, spiritu & virtutibus, ut sanitatis & virium corporis, quæ ad laborandum, in vinea Domini necessariz sunt, ratio habeatur. Neque in Tirocinio duntaxat; verùm etiam à Votorum emissionem, curam singularem valetudinis suorum geri voluit: tum ut in valentibus sanitas conservaretur; tum ut infirmus restitueretur. Causam verò reddebat; quod ægroti parùm pro

H h h h pro

pro Deigloriâ laborare valeant, imò potius aliis quòque oneri sint; prosperâ autem gaudens valetudine, nunquam non quidpiam saltem præstare possit.

Hanc sanitatis suorum curam S. Ignatius semper quidem; sed modo singulari demonstravit Anno 1555. cum in Collegio Romano 150. imò 200. quandoque Personarum numerarentur, & nulli ferè reditus suppetent: nihil tamen illis Vir Sanctus & Caritate plenus unquam passus est deesse; sed eâ liberalitate providebat omnibus, quâ, licet arcas auro fartas possideret, majore non posset. Cùmque advertisset, præclaros Adolescentes nimio studio ante tempus confici: pro ipsorum recreatione villam in Urbe coëmit, ad thermas Antonini, non procul ab æde Sanctæ Balbinæ: cùm autem nonnulli inopiam prætenderent; & tempus vivendi, non ædificandi esse dicitarent; ipse tamen sententiam suam non immutavit; asserens: pluris sibi esse unius Fratris sanitatem; quam omne aurum, thesaurisque mundi universos. *Orlandinus L. 15 n. 6. Hist. Soc.* Verùm cùm ipse plus quam maternam valetudinis suorum curam gereret; ideo quenquam vel minimam pro necessariis curam suscipere, vel quidquam aliunde sibi conquirere, omnia verabat. Eiusdem quòque cum S. Ignatio mentis fuit S. Franciscus Xaverius; qui à Sancto Fundatore sibi in Indiam submittebat Viros flagitabat, virtute ac sanitate valentes, ad ferendos labores pro gloria Dei & salute Animarum. Ex quibus omnibus rectè colligimus, sanitatem in signe Dei donum esse, &

omnino necessarium ad labores magnos pro Dei gloria exantandos: adeoque eam non esse negligendam, aut destruendam, nec studio nimio, aliòve opere pessundandam; sed curâ moderatâ custodiendam ac conservandam.

Quòd si tamen anceps quis hæreat, num Superiori proponendum sit, necne, quod in cibo, potu, veste, habitatione, officio, occupatione & labore deficiat; ad scrupulum, dubiumve abigendum, duo observanda suadet S. IGNATIUS. Primum est, ut orando Deum consulat; quod in minutis brevi suspirio peragi potest; in aliis verò cujusdam momenti, ut loci variatione, cubiculi mutatione, cibi potusve extra-ordinarii petitione, præmissâ oratione fiat. Alterum est, ut re Superiori propolitâ, sive is annuat, sive abnuat, integre nos in voluntatem ac Providentiam divinam resignemus; quæ defectum nullo negotio supplebit, eumque in emolumentum nostrum spirituale convertet. Atque adeo nec per nos, nec per alios, res importune urgenda, ac perurgenda; sed Deo O.M. committenda; quamvis mentem suam Superiori clariùs exponere, aut si oblivioni traditum credatur, in memoriam ipsi revocare, fas sit.

Quapropter, Carissimi, viam medianam teneamus; duo extrema evitantes. Primum est, cùm Societas (aut Religio *quavis*) mater nostra, ad eò provida, ac pro nobis Filiis suis sollicita sit, ut sanitate ac sustentatione commodè gaudeamus: nostrum esse, concludamus, curam superfluum deponere, & sollicitudinem nimiam, sive quoad necessarium substantiam, sive qualitatem, proferbere; nec

nec morbum, qui non est, in phantasia nostra cudere; aut in his, illiusve alimentis, nimia anxietate, aut scrupulositate nobis, aliisque molestiam creare. Dominus custodit nos, Dominus regit nos, & nihil nobis deerit, aut obtemperant declinare, quod incurreremus, si in sanitate tuenda, desides omnino atque in curios nos exhiberemus: sanitas enim magnum Dei donum est, ad laborandum in vinea Domini, pro Dei gloria, omnino necessarium, quodque magni fecit S. Fundator noster. Quare utrumque extremum declinemus, mediâque viam teneamus, ut & sollicitudinem nimiam resecemus, & moderatam sanitatis curam nunquam non foveamus.

EXHORTATIO II.

IN EANDEM REGULAM,

Optimum sanitatis tuendæ medium esse probat temperantiam, & sobrietatem.

T H E M A.

In multis oscis erit infirmitas. Eccli. 37. 33.

VEL

Moderata cura tuendæ ad divinum obsequium valetudinis, laude digna, & ab omnibus adhibenda est. Reg. 46.



Sanitatem in homine religioso, magnum Dei donum esse, atque ad obeundos consuetos, pro gloria Dei & proximorum salute, labores unice necessarium; exhortatione proximè præcedente declaravimus: ex quo nunc inferimus, donum hoc, curâ solerti, conservandum esse. Quantum verò donum censendum sit sanitas, clarè indicat Siracides, dum illud divitiis, aliisque bonis naturalibus longè antepo-

nit. *Melior, inquit, est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis.* c. 30. & ibid. v. 15 *Melius est corpus validum, quàm census immensus.* & v. 16. *Non est census, super censum salutis corporis.* Et rectè id verèque: quid enim juvant divitiæ, absque prospera valetudine? Croesum aliquem, morbo graviore pressum, in mollissima odorina culcitra repone, & in lectica argentea, præstantissimis Phrygii operis peripetasmatis operata; exquisitissima appone bellaria, nectar & ambrosiam propina; suavissimis Aulædorum melodiis ac symphoniis

H h h 2

avros